Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Imperium.

Vrbes.

Moschovitarum nomen recens est, quamquam de *Moschis* Sarmatarum affinibus Lucanus Poëta in Pharsal. meminerit, et Plinius *Moschos* ad Phasidis fontes supra Euxinum ad Orientem constituat. Horum Regio hac Tabula describitur, quæ cum Descriptione proxima a nobis delineata sit, ea duntaxat hic referemus quæ ibi non attigimus. Regio hæc campestris magna ex parte, et pabuli quidem ferax, sed æstate pluribus in locis admodum palustris. Melle adeo abundat, ut in vastis Silvis, in specubus & excavatis roboribus aliquando toti Mellis montes reperiantur, & Homines Feræque in illos Mellis Lacus improvidi delapsi, ibi immersi tanquam Mus in pice periclitentur, quod è sequenti narratione è Pauli Iovii Moscovia planius patebit. Is refert, Demetrium Legatum narrare solitum cum multo omnium risu: Agricolam quendam quærendi Mellis caussa in prægrandem cavam arborem superne desiliisse, eumque profundo Mellis gurgite pectore tenus fuisse haustum, ac biduo vitam solo Melle sustinuisse, cum vox opem implorantis in ea silvarũ solitudine ad viatorum aures penetrare nequivisset. Ad extremũ vero desperata salute mirabili casu ingentis Vrsę beneficio, inde extractum evasisse, cum forte ejus Beluę ad edenda Mella more humano se demittentis, aversos renes manibus comprehendisset, & eã subito timore exterritam ad exsiliendum tum tractu ipso, tũ multo clamore concitassent. Lini & Cãnabis Regio fertilissima est. Nulla Auri Argẽtive vel ignobilioris Metalli, Ferro excepto apud eos vena, secturaq; reperitur, nullumque est tota Regione vel Gemmarũ vel pretiosi Lapidis vestigium. Omnis generis feris & Avibus abundat. Capitur quoq; Avis subnigra puniceis superciliis, magnitudine Anseris, quæ pulparũ sapore Phasianorũ superat dignitatẽ, Moscovitica lingua *Tetrao* nuncupata, quæ Plinio *Erythratao* vocatur, Alpinis populis, & maxime Rhetis cognita. Moscoviæ Dux in omnes pariter jus vitæ, necisque possidet, ac Moscovitæ opiniones sui Principis etiam in Religione habent pro lege immutabili. Voluntas namq; Principis, voluntas Dei habetur ab omnibus, clavigerq;, cubicularius, atque exsecutor voluntatis Divinæ esse existimatur. Atq; hac de caussa nemo refragatur ullibi voluntati Principis, etiamsi nocitura nõ modo sibi, sed toti Regno ac Genti præcipiat, cum ejus nutus dicta atque facta, aliquando nefanda etiam, detestanda & execranda adorent & exosculentur, quod omnes juxta politicos & ecclesiasticos, durissima servitute sibi subditos atque subjectos habeat. Vxorem autẽ ducturus, coactis è toto suo Regno præstantissimis forma & corpore puellis, quam vult uxorem deligit, & cæteras Principibus & Nobilibus uxores collocat. Moscoviæ Vrbium omnium longe clarissima ea quæ vulgo *Moskvva* vel *Mosco*: Sedes Patriarchæ, ac Magni Ducis Regia. Ad ipsum Vrbis caput Neglinna fluviolus, qui frumentarias agit molas, Moschum amnem ingreditur, Peninsulamq; efficit, in cujus extremitate Arx ipsa cum Turribus ac Propugnaculis admirabili pulchritudine Italorum Architectorum ingenio constructa est. In subjectis Vrbi campis Capreolorum & Leporum incredibilis multitudo reperitur, quos nemini plagis & Canibus sectari licet, nisi Princeps id ad voluptatem intimis familiaribus vel peregri-